„Sunt, qui rem callide dissimulent et sicco pede sapienter transiliant; est, qui Scaligerum cavillari hic dicat; et tandem exortus est, qui id ipsum, quod ille vituperat, in caelum ferat et admirabile esse pronuntiet. En quo tandem pervenimus; ut miremur scilicet ea, quae nemo intelligit; imo quae probe intelligimus inepta esse et falsa et absurda.“

BENTLEIUS AD HOR. EPOD. XVII, 22.

Posteaquam necopinantibus nobis annui programmatis scribendi officium et munus iniunctum est, quum viae ac rationis, qua Horatium in scholis explicare solemus, specimen edere, quantum per temporis diuturnis negotiis occupati brevitatem licuit, animo propositum esset: ultra hos fines abrepti quae in arte critica exercenda conati sumus, ea doctorum virorum i. e. eorum, qui textum Horatium qualem casu accepimus non tamquam divinitus datam superstitiose venerantur et subsidiis undique sine delectu petitis tuentur, iudicio lubenti animo subiiciemus. In ipsis scholis vix opus est, ut addam crisin adhiberi nullam nisi quae ad grammaticam scientiam augendam et mentem sensumque pulchritudinis acuendum valere videatur.

Horatium cultissimum et elaboratissimum Romanorum poetam esse etsi una et consentiens vox doctorum virorum est, tamen multa in eo inveniuntur, quae parum digna Venusina lucerna habenda sint. Nam, ut omittam foedum vitium, quo pueri apud nos vapulare solent in A. P. v. 65 palus aut perditur S. 2, 6, 59, quod nuper Lachmannus porgitur scribendo correxit (in Statii v. ap. Isidor. 3, 70, 19: Et alterno deperditur unus in ortu ex Gu. 3. defenditur legendum) aut vepallida in S. 1, 2: in ea me Horatianorum operum parte continebo, cuius recensionem ab Agorio Mavortio Felicis sui ope institutam et ad nostra tempora propagatam esse satis constat. Ubi, ut a rebus metricis exordiamur, negari sane nequit poetam arte sua nondum perfectum commississe aliquoties, quae postea studiose evitare soleret. Quo referenda est divisio vocis inter duos versus ter ab eo et in tertio quidem versu Sapphico admissa C. 1, 2, 19 Iove non probante u|xorius amnis. I, 25, 11: magis sub inter|lunia vento. 2, 16, 7: non gemmis neque purpura ve|nale neque auro. Quin etiam quartum exemplum Bentleius coniectura haud spernenda addidit 3, 27, 60 te secuta e|lidere collum p. laedere. Ita semel iambus invenitur pro spondeo positus 4, 1, 2: Trahuntque siccas machinae carinas. Ubi praeterea iam olim offendit in usu trahendi v. Scaliger pater et nuper Hofmannus Peerlcamp, qui quomodo haec verba accipienda essent, sese nescire fatebantur. Nam machinae quaecunque sunt certe non trahunt navem, sed impellunt aut devolvunt; saltem ad mare addendum erat, si trahendi verbo poeta uti voluisset. Et ita, quem Lambinus laudat, Attius ap. Non. v. anima: Classes trahere in salum (male Mitscherl. in mare) et Apoll. Rhod. Arg. I, 357, qui fuse trahendi actionem describit, ἔσω ἅλος primum addit, postea 382. absolute ἐρύσσαι ponit. Qui praeterea affertur Pollux Onom. 7, 190 de subducendis navibus loquitur et νεωλκοί sunt, qui

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

subducendis navibus sese locant nec simplici verbo utitur, sed ἐφέλκονται ait, καθέλκονται autem in Seberi Ms. legitur. Plauti et Caesaris loca, quae certatim laudantur, huc non pertinent nec favet Aeneae T. locus c. VI τὰς πανδήμους νεωλκίας subductionem navium intelligentis. Incerti autem poetae versus quem ex Mario Victorino affert Ianius:

Trahuntque magnis navitae clamoribus carinas

de nave adverso flumine tracta accipiendus est. Speciosius Terentiani Mauri auctoritate versum tueri licet quem trahunt legisse ex v. 2945sq. satis apparet. Quamquam Bentleius certe eandem non magni habuisse videtur, cui siluae suspectum esset (de quo post dicemus), quod clare testatum ille reliquit v. 2978. Erant, qui ducunt coniicerent, quod et longius recedit a vulgata lectione nec praeterea placet. Facillima mutatione scribendum reor: „Truduntque siccas machinae carinas.“ Ita recte naves phalangibus a pulvinis (v. Isidor. Origg. 19, 2, 16) demissae dicuntur verbo plane Horatiano Epod. 2, 31. „Aut trudit acris hinc et hinc multa cane Apros in obstantes plagas.“ Epp. I, 20, 15. „Qui male parentem in rupes protrusit asellum.“ Ibid. I, 5, 17. „Trudit in proelia inermem.“ C. 2, 18, 15: „Truditur dies die.“ Lucretius, cuius imitatione noster mirifice delectari solet, de R. N. I, 903. „Trudit ventus magno molimine navem“ ib. v. 293: „Trudunt venti res ante“ 3, 1013: „trudere adverso monte saxum“; 6, 435: „trudatur quasi quid pugno.“ Martial. 3, 82, 6: „Cubitisque trudit hinc et inde convivas.“ Cic. de Or. 2, 5: „ex deversorio — te extrudam et eiiciam.“ Trudis denique in re navali est contus acuta cuspide v. Virg. Aen. 5, 208. — In duobus autem locis, in quibus praeterea quamquam non in eodem metro trochaeus in basi pro spondeo positus est, 1, 15, 24: Teucer et Sthenelus sciens et ibidem in fine: ignis Iliacas domos, poeta non Graeco usu quemadmodum Orellius voluit excusandus est, quem ipsum usum prudenter evitare studuit Horatius. Verum priore loco te ex tribus Blandiniis aliisque vetustioribus libris reponendum est, id quod olim iam Ianius fecit, nuper Fea; in altero quominus cum iisdem Pergameas p. Iliacas, auctoritate quidem codd. aut nulla aut perexigua, scribendum censeam, impediunt quae Lachmannus apud Frank. Fast. Horat. p. 238 disserit: „Talia enim nondum perfectae artis documenta quaedam Horatium delere noluisse alio memorabili exemplo docere possum.“ Quamquam facile in Horatio accidere potuit, quod in Statii Silv. 5, 3, 127 factum videmus, ubi in verbis: Graius qua puppe magister, frustra se torsit Gronovius gratus scribens, restituit Phrygius Marklandus ex vetustissimo Heinsii codice. — Hiatus intra versum bis invenitur 2, 20, 13: Iam Daedaleo ocior Icaro, quod carmen ab Horatio abiudicandum esse existimo*) et 3, 14, 11 male ominatis, ubi nisi cum Bentleio nominatis scribendum est, hiatus,

*) De interpolatione carminum quum longum sit h. l. agere, pauca tantum monebo non omni ut arbitror probabilitatis specie destituta. Familiaritas Maecenatis ut in aequalium ore perpetuo ferebatur, id quod aegerrime tulisse poetam probe scimus, ita incredibile dictu est, quantam post eorum mortem materiem praebuerit et commentatoribus ad insulsissima quaeque excogitanda, velut quae de Malchino Sat. 1, 2, 25 scholiastae referunt, et declamatoribus imitatorumque servo pecori, qui argumenta carminum inde sibi sumpserunt. Testis est Suetonii vita et praeter nostrum carmen 1, 20, de quo cf. Hofmannum Peerlkamp. Utrumque carmen Maecenati inscriptum eo notabile est, quod certissimum interpolationis signum in Horatio mihi invenisse visus sum, ut inepta rerum exaggeratio carundemque et personarum coacervatio nullis sententiis aut imaginibus intermixtis temperata in eo cernatur. Velut:

Caecubum et praelo domitam Caleno
Tu bibes uvam: mea nec Falernae
Temperant vite * neque Formiani
Pocula colles.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quod ambo verba unam notionem efficiunt, tolerabilis videtur. Pari modo elisio inter longam et brevem syllabam 3, 4, 17: ut tuto ab atris et v. 31. tentabo et ac 3, 5, 31 vidi ego neminem offendet, quum eandem auribus valde ingratam accidere appareat 2, 3, 11 Ramis quo et ob-

---

Habes totius Italiae chartam vinariam, nam de Sabino iam initio ita cecinit interpolator:

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Graeca quod ego ipse testa
Conditum levi, datus in theatro
Cum tibi plausus
Care Maecenas eques

ubi laude sua non defraudandus lepidissimus poetae editor, Praedicovius, qui urbane correxit: Vile potabo immodicis Sabinum. Fugit autem, quod sane dolendum, editores suavitas imaginis, ex qua Horatius eo ipso tempore in apotheca rei picariae operam dare fingitur, quo Maecenas plausu publico excipitur. Sunt autem omnia ex 2, 17, ubi illud cum v. 25 nuper a Lachmanno in cui mutari iussum iam interpolator legisse videtur, sine dubio sumpta. Qui ceteros amicos Caleno vino (4, 12) aut Massico (2, 7) excipere solebat, is non tam rustico modo patronum suum invitabat, sed ita verus Horatius:

Tyrrhena regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado
Cum flore, Maecenas, rosarum et
Pressa tuis balanus capillis
Iam dudum apud me est.

et vide altero exemplo, quomodo sententia bona prava imitatione et exaggeratione in ridiculum distorta sit. C. 3, 30:

Dicar quae violens obstrepit Aufidus
Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnavit populorum ex humili potens
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos.

Personatus Horatius: Me Colchus et qui dissimulat metum
Marsae cohortis Dacus et ultimi
Noscent Geloni, me peritus
Discet Iber Rhodanique potor. (2, 20.)

Scilicet Horatius Gelonos intra praescriptum exiguis equitare campis (C. 2, 9.) iussos linguae latinae equis sedentes operam navaturos auguratur secundo libro, qui in tertio Italiae fama contentus est! Verum editores quoties itinerario aliquo de exemplari Horatii in ultima quadam Thule reperto certiores fiunt, laetitia exsultant tamquam vaticinium divinum quoddam impletum sit. Revocant autem hae inficetiae personatum Gallum in mentem El. 4, 85: Fortis ad occasum ni pugnem Solis ab ortu, ubi Scaliger: non possum, inquit, legere sine risu. At excusat Gallum suum Wernsdorfius (P. L. M. 3, p. 194), quippe quem Virgilius, vel potius Apollo Ecl. 10 his verbis compellet; Galle quid insanis? En habes egregium praesidium Horatianis quoque paratum: quem enim fugit poetam dixisse: an me ludit amabilis | Insania? — Sunt tamen etiamnum vestigia poetici inter Horatium et Maecenatem commercii quamvis tenuia. Velut quae ille cantat 2, 12, 22:

Num tu quae tenuit dives Achaemenes
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
Permutare velis crine Licymniae
Plenas aut Arabum domos?

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

liquo laborat, quem locum quid ex codicibus aliquot restituendo Vanderburgius et Lachmannus emendarunt. Aliter Haupt. Obss. critt. p. 18 sq., quem confer. — Denique quod ad caesuram attinet nolo repetere, quae subtiliter de eius usu in choriambico et alcaico metro Bentleius ad 4, 8, 17 et Lachmannus apud Frankium l. l. p. 238. observarunt nec exempla caesurae neglectae attingam, quae Hermannus El. D. M. p. 691 collegit, nisi quod in uno loco 4, 14, 17: Spectandus in certamine Martio miro quodam casu factum est, ut hic versus in quo Tiberii laudes praedicantur, pariter propter caesurae defectum vitio quodam metrico laborare videatur, ac duo illi in epistolis de Tiberio versus amphibrachica mensura insigniter fracti:

Dignum mente domoque legentis honesta Neronis

et

Iuli Flore bono claroque fidelis amice Neroni,

quod studio quaesivisse poetam tantum abest ut credam ut eum de animi sententia l. IV principem laudibus extulisse persuasum habeam egregium vita famaque quoad privatus vel in imperiis sub Augusto erat. Producitur vero caesura brevis syllaba quattuor locis 1, 3, 36. 2, 13, 16. 2, 6, 14. 3, 16, 27; exemplum autem productionis in thesi nullum invenitur praeter 3, 5, 17, nam 2, 19, 5 nunc leni p. levi legitur et 3, 2, 1 amice non vocativum sed adverbium esse habendum satis constat*). Illo autem in loco, quem primum posui·

---

referenda sunt ad ea Maecenatiana, quae quum de iis alio loco dicturi simus, nunc dare malumus, quemadmodum in Guelpherbyt. I apud. Isidor. Origg. 19, 32 leguntur quam quomodo a doctis viris foedius etiam corrupta sunt:

Lugente mea vita nec smaragdos
Berillosque mi Flacce nec nitentes
Per candida margaritas quaero
Nec quos tunica luna perpolivit
Anulos nec iaspios lapillos.

Accipiebant scilicet haec verba de Maecenate Horatio superstite! v. Burm. Anth. L. I, p. 412 sq.

*) Pauca sunt syllabae brevis productae exempla in Catullo, Tibullo, Propertio. Quodsi Lucretii et Ovidii textus aliquando aeque emendatus fuerit atque illorum, numerus productarum syllabarum mirum quantum imminutus erit. Scite iam Sauten. ad Terent. Maur. p. 293: „Ovidius,' qui omnino ob caesuram raro syllabam producit; rarius etiam quam credidit Heinsius ad IX Met. 405; an hac penthemimerios in elege productione utatur, necdum constat. Loca enim, quae viri docti hanc in rem laudant vel incerta sunt" etc. Iam quae affert loca Fast. 2, 714 et 3, 500, nunc in Merkelii editione legitur, ut iam Santen. ex codd. et edd. vett. proposuit, princeps p. primus et at hic laudi est p. sed laedit; porro de A. A. 1, 4 leves currus p. levis c. edidit Jahn e codd. et edd.; ex Ponto epp. 4, 3, 44 lectio ipseque versus est admodum incertus. Nec aliter statuendum de Heroid. 8, 21, 22:

Si sacer ignavus vidua stertisset in aula
Nupta foret Paridi mater ut ante fuit

ubi prior v. deest in Dresd. Erf. II Gothh. IV Guelff. et plerisque Heinsii, pentameter autem heroico versui postquam is irrepsit additus videtur. Sunt enim versus ineptissimi. Ibid. 17, 228 nunc fratres p. fratris et v. 256: operis — tuis p. operís — tui ut iam Santenius voluit, ab Iahnio receptum est. Iam restant in hoc colo tantum exempla formae periit, rediit, subiit. Nec dissimiliter se res habet in Metamorphoseon libris. Nam etsi 7, 61: „Et dis cara feras" nulla varietas certe in ed. Gierigii enotatur, at ibid. 643 codd. aliquot sed p. at habent, 14 250 lectio incerta est, quum pro vulgato et etiam sed, vel, nec inveniatur et 9, 405 ibuntque,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis condicionibus
Foedis et exemplo trahenti
Perniciem veniens in aevum

Si non periret immiserabilis
Captiva pubes

vix a me impetrare possum ut poetam, qualis Horatius est censendus, in eo metro, in quo maxime omnium elaboraret, tantum vitium commississe existimem. Quod autem Bentleius, quamquam dubitanter, proposuit: „ni perirent immiserabiles | captiva pubes", id falso rettulit Orellius, tamquam immiserabilis Bentleius servasset, eumque frustra oppugnat vel si mavis tuetur duobus Propertii locis, quorum alter (4, II, 21.) plane huc non pertinet. „Adsideant fratres, iuxta Minoia sella", in altero autem (3, 17, 28) „potant Naxia turba", optimus Groninganus habet potat, quod miror Hertzbergium vulgatae non praetulisse. Sed quum ipsa Bentleii coniectura habeat duritiem aliquam, aliud remedium proponere haud abs re visum est. Quid si poetam scripsisse censemus:

Si non periret vae miserabilis

ut I, 13. „vae meum | bile tumet iecur." Pers. Sat. 6, 50. „Vae nisi connives." Ter. Ad. 3, 2, 29: „vae miserae mihi." Andr. 2, 1, 2: „vae misero mihi." Eun. 4, 4, 42: „vae mihi." Virg. Ecl. 9: „Mantuae vae miserae nimium vicina Cremonae." Catull. Epith. Thet. 64, 196: „Quos ego vae miserae! extremis proferre medullis." Id. ex Meleagri emendatione 8, 14 vae te cl. Haupt. Obss. cr. p. 6 sq., mutatione pene nulla quum ve scribi soleret sententiaque percommoda, nam poetam, ex cuius iam mente non ex Reguli sententia haec verba sunt capienda, sane fortium militum misereri decuit, qui minorem quam illi, qui apud Parthos consenuerant, culpam contraxerant, Naevio saltem teste, quem Horatium esse sequutum veri haud absimile est, de bello Pun. fr. l. 4 p. 200 ed. Sp.:

Simul alis alid aliunde rumitant inter se
Seseque ii pereire mavolunt ibidem
Quam quum stupro rebitere ad suos popolares.

Iam ad alia transitum parat productio penultimae C. 2, 15, 17. „Nec fortuitum spernere cespitem", quam syllabam ab epicis demum poetis dactylici metri causa correptam esse persuasum habeo, quum et Phaedrus et Ausonius eandem producant et analogia adiectivorum in itus desinentium hunc usum confirmet. Nam quae in Serviamis ad Virg. Aen. 6, 179. de origine huius adiectivi, tamquam ducendum esset ab eundi verbo, leguntur, aliunde intrusa esse statim apparet et quod Statius Silv. I, 16, 16: gratuitum in metro Phalaeceo corripit, id vix quicquam probat, nisi quod

---

ex Heinsii coniectura male editur, libris flent s. deflentque praebentibus, quod cur reiiciamus nulla causa est. Iam praeter exceptionem, quae supra posita est, restabunt pauca fere loca: solet 3, 184, it 8, 349; tum ubi vox in s desinit ac quidem Graeca praeter sanguis 10, 459, Taenarius 2, 247, myrtus 10, 98. (nam lupus 11, 366, quod est profectum ex Burm. emendatione non moror) laurus 15, 634; denique Rhodon 7, 365; que 10, 308; nam Atla 4, 643 et Drya 12, 296 pro primae declinationis vocativis accipienda sunt. Iam quanto plus sibi Virgilius indulserit, ex doctissimi diligentissimique viri, Wagneri, Excursu XII apparet, in hac quoque re, ut alibi, poetam suam omnibus quae a doctrina et subtilitate peti possunt subsidiis enixe defendentis. Ceterum non verendum mihi est, ne cui videar totum de syllabae brevis apud Ovidium productione locum absolvere voluisse. Quod tantum abest, ut cetera Ovidii scripta propter criticae suppellectilis inopiam ne tetigerim quidem, velut illud nihil Epp. ex P. 3, 1, 113.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

hoc loco ii refelluntur, qui fortuitum per synizesin posse efferri censebant. Miror autem Koenium in libro de Epicorum sermone hoc vocabulum praetermisisse silentio. — C. 1, 9, 1:

Vides ut alta stet nive candidum
Soracte

nusquam quod sciam lectionis varietas enotatur consentiuntque cum vulgata lectione Priscianus, Consentius, fortasse alii grammatici. Fugit autem editores lectio satis memorabilis apud Mallium Theodorum de metris p. 23, qui ita excitat hunc locum:

Vides ut alta stet nive candidus
Soracte

sicque in tribus Mallii codicibus legi testatur Heusingerus. Ac sane Porphyrio: „Notandum autem quod neutro genere Soracte dixerit cum vulgo Sorax dicitur.“ Bis Bentleius praestantiorem lectionem ex Grammaticis sibi haud immerito reposuisse visus est, lactea I, 13, 2 ex Flavio Capro et incaluisse ex Mario Victorino 3, 21, 12. Quibus num hic tertius locus annumerandus sit, penes alios iudicium esto. Certe Plinius N. H. 7, 2 Soractem montem et Servius bis Soractis mons ad Virg. Aen. 7, 695 et 11, 785 nec videtur ullum exemplum in cultioribus poetis exstare, ex quo montis nomen neutro genere usurparent. Immo Ovidius Metam. 7, 224:

Et quas Ossa tulit quasque altus Pelion herbas.

Nam Plemmyrium undosum apud Virg. Aen. 3, 694 non videtur obstare, quod non tam montem, quam tractum saltuosum vel promontorium cum arce fuisse ex Thucyd. 7, 3 apparet. Statii autem verba Theb. 10, 851: nec adhuc immane veniret | Pelion de vitio suspecta sunt, vix enim commodum sensum praebere videntur et quod ex Silio Italico afferunt 8, 494: qui Sutria tecta

Haud procul et sacrum Phoebo Soracte frequentant

ea parum tuentur receptam Horatii lectionem quippe ex poeta sumpta, qui his in rebus multa licentia utitur Saguntos formans et Tarentus aliaque.

Sunt autem etiam in singulis vocibus eorumque usu et significatione multa, in quibus diligentior lector offendat, quorum vitiorum permulta Bentleius, nonnulla Hofmann Peerlkampius et Lachmannus correxerunt. Atque quod ad rariora vocabula attinet, ea in codicibus satis fideliter servata esse videntur (ut Rhoetum summa constantia libri mss. 2, 19, 23, contra edd. veteres Rhoecum; Rhode p. Chloe meliores certe 3, 19, 27; ravos quattuor Blandinii et unus Orellii p. flavos Ep. 16, 35) verum initio maxime et fine versuum multa turbata et aliquoties plane aliena vocabula intrusa sunt. Quo pertinet Appŭlo et Apŭliae 3, 4, 9, 10, ubi alterutrum vocabulum corruptum sit necesse est et sīluae ep. 13, 2, quod quidem praeterea legitur I, 23, 4; utroque autem loco offendit Bentleius coniiciens nemoris et nemora a poeta scriptum esse. Quod ut multa alia numquam aut tarde loco suo cessura ut omittamus, in aliis tamen Bentleii acumen, quid verum esset, egregie perspexisse viri docti quamquam tarde et invito animo agnoscent. Velut 1, 7, 27:

Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro

Bentleius auspice Phoebo legendum evicit vulgatamque etiamnum Orellius defendit Ovidiano Auspice te, quo Germanicus compellatur Fast. 1, 26. Ubi quod iam Bentleius scribendum contendit Auspicio, id tandem a Merkelio ex quinquaginta quattuor Heinsii, suis aliorumque codd. et edd. seculi XV in textu positum est. Ultima vox autem quum nescio quo casu perisset, librarii

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

proximum quod aptum videretur vocabulum repetierunt ut ad arma 1, 35, 15. Quemadmodum vero illo loco praesidium vulgatae lectioni ereptum est, ita Bentleiano possunt pro prosunt 1, 26, 10, quod adhuc tantum in Lambini aliquot libris (Lambini autem aliquot saepe nihil nisi unum significat) Bersmanni uno et Zulichemiano inventum erat, nova auctoritas accessit antiquissimis Orellii libris, quamquam non inter optimos numerandis, et nuperrime Lipsiensi codice secundo apud Kirchnerum in laboriosissimis bonaque fruge refertissimis Quaest. Horat. Nov. p. 41. Quam facile autem lectio per se non contemnenda in locum exquisitioris vel recitantium legentiumque vel scribentium errore irrepere potuerit, quis est quem fugiat? Veluti 3, 11, 46. „quod viro clemens misero peperci," unus Vanderburgii codex habet demens, superscriptum autem clemens, quod propter proximum misero multo significantius est. Iam fac, bonum istum Mavortium, quum carmina conferret cum Felice Oratore Urbis in duobus quibus uterentur exemplaribus, demens casu invenisse, nonne nobis eandem in emendato exemplari suo reliquisset aut Graccos p. Gratus 1, 12, 39 ex Vanderburgii φ recipere dubitasset?" Quare nihil magis cavendum est nobis, quam ne in singularum vocum interpretatione laxiores esse videamur, id quod Orellio saepe accidisse dolendum est. C. 4, 14, 14 de bello Raetico:

Maior Neronum mox grave proelium
Commisit immanesque Ractos
Auspiciis pepulit secundis

novam proelii significationem comminiscitur vir doctissimus bellumque in universum significari contendit. Verum, ut bene observat Frankius l. l. p. 212, nobis nullus huius belli auctor Horatio locupletior extat, qui sane hac in re eandem atque historiarum scriptores fidem meretur, qui si de proelio tacent ex Horatio supplendi sunt. Atvero ne tacent quidem prorsus: nam Vell. P. 2, 95: „multis urbium et castellorum oppugnationibus nec non directa quoque acie feliciter functi" nimio brevitatis studio utrique fratri tribuit, quod, alteri solum conveniebat et clarius Dio 54, 22. ἐσβαλόντες οὖν — ἀμφότεροι αὐτοί τε καὶ διὰ τῶν ὑποστρατήγων καὶ ὅ γε Τιβέριος καὶ διὰ τῆς λίμνης πλοίοις κομισθεὶς, ἀπό τε τούτου κατέπληξαν αὐτοὺς κ. τ. λ. separatam Tiberii expeditionem indicat, in qua Tiberium necopinantes hostes oppressisse eorumque aedes incendio delevisse ex sequentibus probabile est:

impiger hostium
Vexare turmas et frementem
Mittere equum medios per ignes.

ubi ignes frustra in enses, quod sane usitatius, mutari voluit Bentleius, quum de re gesta aliqua aperte loquatur poeta, cuius cura in delectu singulorum vocabulorum plane singularis in hoc ipso carmine est. Compares enim velim haec Horatii v. 31:

Primosque et extremos metendo
Stravit humum sine clade victor

cum Velleianis 2, 95: „maiore cum periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum eorum sanguine" (quam laudem summam ducebat Tiberius v. Morgenstern. in Vell. ed. Forbiger I, pag. CLXI) et quae sequuntur de Augusto:

Te copias, te consilium et tuos
Praebente Divos

cum Tiberii scriptis ad Senatum apud Tacit. An. 3, 47: „fide et virtute legatos, se consilio superfuisse" et fateberis mecum Bentleium in carmine consimilis argumenti 4, 4, 26. „quid indoles Nutrita faustis sub penetralibus Posset" pulcherrime coniecisse sanctis, ut prorsus Velleius

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

2, 94: „innutritus caelestium praeceptorum disciplinis“, quem ipsum tamen locum magnus Britannus nescio quo casu praetermisit. Quemadmodum autem felici casu flexus p. victus in solis Blandiniis, certe in antiquissimo, servatum est 4, 6, 21, ita verendum est, ne vera scriptura corrupta sit 1, 31, 5, ubi poeta optat: „Non opimas Sardiniae segetes feracis, Non aestuosae grata Calabriae armenta. Quibus in verbis nemo inventus est, qui in grata voce explicanda satisfaceret accurato lectori. Nam grata si domino intelligis, otiose positum patet, si spectantibus viatoribus, vix latinum videtur alienumque est, quod de sola bonitate agitur. Exquisitiore latinitate v. c. tecta grata appellantur domino, eademque moerent eius discessu; verum ne id quidem aptum est. Graia quod Moench et Hofmann P. coniiciebant quum otiosum sit aliisque insuper de causis alienum, nihil aptius videtur quam laeta ut Ep. 2, 45 laetum pecus et Lucret. 2, 343, Verg. Georg. bis et Aen. 3, 220 de armentis: „unde laetare et laetamen rei rusticae scriptoribus“ ait Gronov. Obss. 2, 3. Acronis interpretatio: „aestuosa enim regio est aptior pecori“ nec ab nostra coniectura abhorret et ansam lectionis vulgatae praebere poterat, quae facile oriri potuit ex errore librarii lata p. laeta scribentis, v. Markland. Stat. S. 1, 16, 26.

Iam vero altera deinceps poetae virtus, quae in sententiarum perspicuitate cernitur, praedicanda est, antiquissimo vitae scriptori probe nota et perspecta, qua qui ipse toties de lima et cura carminum componendorum praeceperit verbaque provisam rem sponte esse secutura expressis verbis affirmaverit, Lucilium autem ob nimiam in scribendo celeritatem graviter castigaverit, caruisse non crederes, etiamsi testimonium ut equidem reor Suetonii non extaret, eum obscuritatis vitio minime premi. Consentit quisquis vitam propter Ovidii mentionem satis memorabilem composuit, quam Kirchnerus e cod. Berolineni B expressam Quaestionibus suis prioribus praemisit: In iocis enim lepidissimus est, in arte vero perfecte eruditus: — in quotidiano vero sermone tam urbanus et aptus in omnibus partibus, ut nihil addi possit vel reprehensione dignum inveniri.

Quae virtus in carminibus eo magis requireretur necesse erat, quo verius Kirchnerus in Quaest. H. N. p. 64 annotatione proposuit, Horatium omnia sua carmina lyrica eo consilio composuisse eamque formam metricam iis induisse, ut ad lyram si non omnia cantarentur, at certe cantari possent. Quod probavit vir praestantissimus quum ipsius poetae locis tum memorabili subscriptione, quam in Gothano 2, 6 et Menteliano sese carmini seculari additam invenisse testatur p. 24: Incipit carmen seculare, quod patri meo et matri meae cantaveram ad chorum puerorum puellarumque ad Apollinem et Dianam. proseutice tetracolos. Cui adde, quae de musicis notis antiquorum codicum nuper Hauthalius cum eruditis communicavit et quae Acro ait ad C. 1, 1, 34 Barbitos] „Dion etiam septimo libro, citharae inquit, lyras septicordes eburneas, quae barbita dicuntur, tendentes, quorum usus obsolevit aetate mea.“ Verum, Ramleri Klopstockiique pravo exemplo, opinor, seducti sunt interpretes, maxime nostrates, quidvis poetae licere rati, quem quo obscurius loquutus esse videbatur eo doctiorem praedicabant in caelumque laudibus efferebant. Verum si noster carmen Lydio se velle incipere modo profitebatur, id non ut Ianius ipseque Orellius putant, fictum est habendum nec umquam tam ridiculam obscuritatem quaesivit et affectavit, qua Klopstockium esse delectatum scimus, quum sclopetum vel tormentum displosum sic exprimeret: *Des frommen Mönchs Erfindung schallt.* Cavendum igitur maximo opere est, ne artificio loca obscuriora tectis, quas pro arbitrio statuimus, allusionibus illustrandi abutamur, quod frustra Gesnerus 3, 4, 9 aliique 1, 2, 39 admoverunt Mauro illi pediti. Quin etiam nuper mirificus homo inventus est, qui locum insigniter turbatum et ab Hermanno Lachmannoque varie tentatum 4, 8. Eius qui domita etc. ita expedire conaretur, ut Censorinum non solum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

signis statuisque abundasse, sed etiam domi imaginem habuisse incendii Carthaginis statueret, in qua maior Scipio tamquam auctor ruinae (ipse vocat *idealen Mittelpunkt*) depictus esset, qua in re nihil magis miror, quam quod Claudium Marcellum et Fabium Cunctatorem ad utrumque latus Scipionis adstantes addere est oblitus. Ac maiore sane iure multa in perobscuro carmine 35, lib. I ad tabulam pictam Fortunae Antiatis referri possunt, verum nec columna stans nec uncus liquidumque plumbum nec quae sequitur stropha, recentissimis tantum commentatoribus facilis ad intelligendum apertaque, probabiliter inde explicari possunt. Idem denique de allusionibus valet, quas nonnulli sibi invenisse visi sunt tamquam ad aliorum poetarum opera referendas. Nam et in Epod. secunda nihil agere videntur, qui nexum quendam cum Vergilianis Georgicis probare student, (utinam quis versus istos: Quis non malarum, quas amor caras habet | Haec inter obliviscitur? ex grammatica ratione sententiarumque connexu explanare conatus esset!) et Struvius ingeniosius, quam verius carmen 3 L. 3 ad Vergilii Aeneidem rettulit, tunc ne editam quidem, de quo carmine non prius recte iudicari posse videtur, quam quid de Porphyrionis verbis statuendum videatur nos sciamus: „Non est alia haec oda, quam superior sed illi adhaeret, quare falluntur, qui eam separant, quippe quae manifesto cohaereat", quemadmodum in antiquissimo Blandinio inveniri auctor est Cruquius. Ac de his rebus pariter atque de versibus merito suspectis (notavit autem iure optimo Meinekius tres locos asteriscis tamquam spurios 3, 11, 16—20, 17, 2—5, 4, 4, 17—22 et addidit lacunae signa 4, 8, 17), quum nunc longum sit disserere, locum in paucis celebrem emendare studebimus, qui ut etiam recentissimos commentatores commemorem, Duentzero longe pulcherrimus et tersissimus, Dillenburgero facilis ad intelligendum visus est.

Etenim inter carmina Horatii, quae graeco fonte deducta videntur, quorumque longe plurima primo libro inseruit, venustate et elegantia haud infimum locum obtinet decimum tertium, in cuius quarta stropha, quae leguntur verba:

Non si me satis audias
Speres perpetuum dulcia barbare
Laedentem oscula quae Venus
Quinta parte sui nectaris imbuit.

certatim a multis propter eximiam pulchritudinem laudantur, ut Musis iratis natos esse iurares, qui quintam illam partem sibi subobscuram videri non erubescerent fateri. Ac sane pauci in his profitentur nomen suum (unum equidem novi Vanderburgium); plerique omnes, maxime recentiores, Graecis litteris Horatium illustrare conantur. Qua in re quum in diversa abeant, alteri statuisse videntur, Horatium quem scilicet mirifico gaudio titillatum esse sciunt, quotiens eum cogitatio subiret fore, nt carmina sua in puerorum manibus tererentur, his verbis in eum finem esse usum ut isti

Laevo suspenso loculos tabulamque lacerto

data occasione in computandi arte exercerentur. Nam si Ianium, Mitscherlichium, Duentzerum, alios audis, quibus praeivit Th. Marcilius, quinta pars est satis multa pars, quod probari contendunt Ibyci fragmento (Lyric. p. 661 ed. Bergk.) mel ἔννατον μέρος τῆς Ἀμβροσίας dicentis, quocum apte componuntur, quae apud Schol. Pindar. Pyth. ϑ, 116 servata sunt: τὸ μέλι τῆς ἀθανασίας δέκατον μέρος ᾠήθησαν εἶναι. Verum quid inde discimus, nisi mellis dulcedinem proxime ad nectar accedere? Qua de re ut non dubitemus, faciunt milia poetarum et rhetorum loca ipseque communis usus apud Plin. N. H. 11, 14 et 14, 16, Ut enim mel optimum vinumque nectar appellari solet (Voss. Virg. Ecl. 5, 71) ipsique poetae apibus nutriuntur (Welcker. Philostr. p. 466. et 657.), ita ipsi poetica mella manant (Hor. epp. I, 19, 44.) Unde audacissime nectar cantare dixit

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Persius prol. S. 13, 14, de quo loco cf. O. Iahnium et Heinrichium in praelectionibus ab eodem editis cum Naekii epistola in appendice earum addita. Eademque vis nectaris immortalia reddit hominum corpora (Ovid, Metam. 4, 252. 14, 605.) Qua in re cum ambrosia pro nectare et nectar pro ambrosia dicere coepissent (v. Meinekius Com. Gr. fr. T. 3, p. 198) non est, quod cum Wernsdorfio (P. L. M. T. 3, p. 173) mireris Lactantium de Phoenice v. 111. hac abundantia uti:

Ambrosios libat coelesti nectare rores.

Accuratius sane ac pene putidiuscule Themist. Or. 23. p. 354 l. 11. ed. Dind.: καὶ αἱ πηγαὶ τοῦ νέκταρος καὶ ὁ λειμὼν τῆς ἀμβροσίας. Igitur ut redeat oratio unde digressa est, quum nectar omnium dulcissimum esse perhiberetur, merito oscula nectare imbuta dici poterant, (v. Alciphron. Epp. I, 38. et Anthologiae ll. apud Mitscherlich.), quae mellitissima suavia appellavit Appul. Met. 2, p. 27 ed. Altenb. in eodemque libro loquitur de „occursantis linguae illisu nectareo.“ Ipsam auram nectare dulciorem affirmat Claudian. Idyll. 499. Quibus omnibus non intelligitur, quid sibi quinta pars velit? Interpretes quidem fingunt Venerem parcam et frugalem matrem familias, quae, quum melle decies sit nectar dulcius, quintam nectaris partem addendo qualitate quantitatem compensare studeat. At ne cavillari videar, simpliciter quintum p. multum dici affirmant, quod et nullo pacto probari potest nec si posset inter loca illa Ibyci Scholiastaeque et Horatii ulla ratio intercederet. Qua in interpretatione alii quum recte acquiescendum esse negarent, doctiorem, ut Orellius ait, quaesiverunt explicationem. Ac nolo eos commemorare, qui Horatium Paracelso in rerum natura perscrutanda praeivisse existimantes de quinta essentia somniarent; sapientius alii ut Orellius sequuntur Wyttenbach ad Eunap. p. 120, ad amantium oscula censentem τό πέμπτον ὄν, τὴν πέμπτην οὐσίαν Pythagoreorum, qui est aether, transferri. Verum iam diu ante Wyttenbachium prudenter Gesnerus monuerat, eodem iure de Aristotelis ἐντελέχεια cogitari posse, ut iam hoc nomine poetam prave loquutum esse confitendum nobis esset. Sed fac quintam partem esse absolutissimam: num vulgare nectar vilius fuisse censebimus, quam quo oscula imbuerentur? Nihil proditum est de variis nectaris generibus; simpliciter nectare res hominesque affici dicuntur. Miror ab interpretibus non afferri Archestratum ap. Athen. VII p. 305, e, qui iocose aprum piscem appellat νέκταρος ἄνθος i. e. summum nectar, quae exaggeratio socco convenit, aliena est ab nostri carminis colore. Absolutissima autem pars quum nihil nisi optimam significare possit, Venerem artem chemicam exercentem tibi fingas necesse est; quae imago quum per se sit satis ingrata, accedit quod nemo scriptor de hoc discrimine nectaris quicquam prodidit nullusque poeta Horatio magis a pravo more abhorruit, ut verbis ex reconditae doctrinae officinis petitis vanam ineptae eruditionis gloriolam affectaret. Vides igitur hac quoque interpretatione poetam ambiguitatis et obscuritatis vitio premi. — At forsitan miratus sit quispiam, me nullam fecisse mentionem interpretationis, quae Scholiastarum est quamque antiquiores editores plerique omnes sequuntur, in his Lambinus ipseque ut videtur Bentleius. Sic enim Acro: „luxuria sui amoris implevit. Quinque partes Veneris esse dicuntur: visus alloquium tactus osculum concubitus“ et Porph.: „eleganter, quia in quinque partes amoris fructus esse partitus dicitur: visu eloquio tactu osculo concubitu unde et Terentianum illud: Tamen extrema linea amare haud nihil est.“ Qua in interpretatione refutanda ne diutius immorer, facit et ipsius carminis elegantia et venustas ab omni spurcitie mirum quantum aliena et quod solum de osculorum suavitate sermonem esse patet. Praeterea quis umquam summum amoris fructum partem quintam nectaris eamque osculo inclusam appellare ausus est? Codices non variant, praeterquam quod e Menteliano quarta enotatur, quanta, quod doctus Hispanus coniecit, non prorsus improbasse videntur Bentleius et Gesnerus, habet tamen languidi aliquid. Quid multa? Scripsisse Horatium affirmo:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Multaque parte sui nectaris imbuit

ut centies poeta: multa levat aura cygnum 4, 2, 25. multa manus S. 1, 4, 141 multaque pars mei | vitabit Libitinam (ubi si codd. quinta haberent non deessent credo, qui sibi sapere viderentur vertentes: *mein besseres Ich*) 3, 30, 6; multa merces 1, 28, 27; multa vis hederae 4, 2, 4 et crebrius in ablativo: multo sale S. 1, 10, 3. 2, 8, 87; multo ture C. I, 30, 3; multa caede 3, 23, 14; multa cane Ep. 2, 31; multa fruge Epp. I, 16, 10; multa laude C. 4, 4, 66; A. P. 287; multa libertate S. 1, 4. 5; multa mole Epp. 1, 14, 30; multa rosa C. 1, 5, 1 et alib., Iam multus esse possem in causa corruptelae inde deducenda, quod initiales litterae saepe iam ceteris perscriptis rubro colore appingebantur, quo more multa turbata sunt (v. Schraderum in Obss.) aut quod alio quodam casu perierunt, ut in Merobaudis fragmento Niebuhriano accidit, ut facile fieri posset, ut quum M VLTA esset scriptum inde QUINTA efficeretur: verum quomodo Scholiastae hac quam supra commemoravimus interpretatione uti possent parum inde eluceret. Iam probabo ex ipsis scholiis perversam istam scripturam in textum irrepsisse.

Etenim Helenium Acronem commentarios in Terentii fabulas, si non omnes (quod mihi quidem non videtur) saltem in Adelphos et Eunuchum conscripsisse ex Charisio constat, v. Suringar. Hist. cr. Schol. L. 1, p. 90 sq. Iam in Eunucho 4, 2, 10 sq. haec leguntur:

Nil ést, quid? nil? si nón tangendi cópia 'st
Eho, né videndi qúidem erit? si illud nón licet
Saltem hóc licebit. cérte extrema línea
Amáre haud nihil est.

Ubi haec sub Donati nomine feruntur: „Et hoc recte: quia quinque lineae perfectae sunt ad amorem; prima visus, secunda loqui, tertia tactus, quarta osculari, quinta coitus. An sic dixit extrema linea, quemadmodum dicitur longis lineis quid fieri? Id est de longinquo.“ Patet haec ex duobus confusa esse scholiis. Cuius posteriorem partem si prudentissimo grammatico Donato adscribimus, num temerarium videtur priora Acroni tribuere, quem commentatum esse de hac ipsa fabula supra docuimus? Iam quum Acro ad Horatium bene annotasset: „luxuria sui amoris implevit“ inepte ex eiusdem in Terentium commentariis addidit aliquis, quae similia videri possunt, re vera multum diversa sunt. Unde et in Porphyrionis commentarium irrepserunt ipsumque textum corruperunt. Qui vero miseram istorum scholiorum condicionem noverit, is me temeritatis vix arguet. Dubitari enim non potest, quin multa omisso auctoris nomine ex alio scholiasta in alium transscripta sint, ut in Servianis leguntur, quae ad Horatium pertinent vel in Donato, quae Acronis sunt vel ad Terentium vel ad Horatium. Velut ad Adelph. 5, 3, 4 Donatus de mundi regno tripartito loquitur, ubi necopinato haec inferuntur: „Et hoc est quod ait Horatius in arte poetica: Interdum tamen et vocem Comoedia tollit“, quae Acronis esse verba verisimile est. Idem ad C. 4, 11, 7: Verbenae sunt omnes herbae frondesque festae ad aras coronandas, dictae quasi herbenae.“ Donatus ad Andr. 4, 3, 11: Verbenae sunt omnes herbae frondesque festae ad aras coronandas: vel omnes herbae frondesque ex aliquo loco puro decerptae. Verbenae autem dictae quasi herbenae. Sic Menander: *ἀφ' ἑστίας σὺ μυρρίνας δέχου Δύστηνε.*“ (Ita Meinek. in ed. 1823.) Apparet prima et extrema Acronis esse. Atque saepe Horatii scholiastae Terentii verba adhibent, at ex Terentii versu ab Acrone allato veram lectionem restituit Bentl. Epod. 17, 30. et cf. Acronem ad C. 1, 3, 11, eundemque ad 1, 35, 13 et utrumque ad Epod. 12, 7 et ad C. 3, 18, 6. Acronem denique ad S. 2, 6, 27, ubi omnia Terentii loca, excepto ultimo, ex Adelphis aut Eunucho petita sunt. Ita quae ad A. P. 120 ex commentatore afferuntur ab Suringar. l. l. III, p. 96, (1), nisi ex Scauri commentariis sunt, ex Acronis Terentianis petita videri possunt. Nec iniuria suspiceris, ex Acroen

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

desumptam esse eam partem Donatiani commentarii, in quo plurimi Lucilii versus afferuntur, cuius in reliquo commentario haud frequens mentio. V. ad Eun. 2, 3, 10. 4, 3. 3. 4, 4, 20. 4, 5, 8. 5, 2, 60. Ac similiter ex Horatianis scholiis in Vergiliana multa traducta idemque vicissim factum esse, attentum lectorem non fugiet; quod quum huius non sit loci pluribus demonstrare, satis habeo Serv. ad Aen. 8. 9. cum Porph. ad S. 1, 5, 87, qui inde sua sumpsisse videtur, eundemque ad C. 4, 4, 20, cum Serv. Aen. I, 243, denique Acronem ad C. 3, 1, 2 cum Serv. Aen. 5, 71 composuisse, unde id certe patebit, quod solum probare studui, in utrisque scholiis multa videri transponendo turbata esse.

Denique, ut ultimum qui fortasse animo lectoris insedit, scrupulum eximam, quaerenti qui factum videri possit, ut Acro quincuplicem istam amoris gradationem ad Terentium potissimum annotaverit, ubi nulla eius afferendi causa oblata videretur, quum contra quinta Horatii pars eius mentionem flagitaret: primum id respondendum est, proverbialem quandam locutionem eiusmodi facile in ore hominum versari potuisse, qua ad hunc Terentii locum opportune quin usus sit Acro dubitare non possumus, deinde vero, ne quid dissimulem, delectabatur istis partitionibus bonus ille Acro, cuius rei testem ipsum tibi producam ad C. 1, 3, 17: Quem mortis timuit gradum] „Tres gradus mortis definiuntur fato casu genitura. Fato ut stat sua cuique dies. Casu ut merita nec morte peribat.“ Sed misera ante diem. Genitura ut sternitur infelix alieno vulnere. Unde Stoici casu dicunt Epicurei fato Pythagorici genitura hominem mori.“ Iam quum satis evidenter demonstrasse videar, nec quinta a poeta scribi potuisse causamque corruptelae pariter atque eiusdem remedium in promptu esse, nihil magis cupio quam ut ab Hauthalio sive quisquis veterum librorum inspiciendorum occasionem nactus fuerit, aliqua auctoritas coniecturae nostrae accedat, qua dum caremus probabiliter lusisse potius quam argumentis extra controversiam positis nostram sententiam probasse viris doctis videbimur. Istos autem non moramur, qui cum anglico sacerdote in Wolfii Analectis mumpsimus suum pro sumpsimus dicere soliti prava consuetudine in perpetuum uti quam insitam inertiam et socordiam vincere malint.

Doctissimus vir C. F. Hermannus in programmate Marburgi 1841. edito quum in notissimo de Lucilio loco Sat. 1, 10, 66

fuerit limatior idem
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor
Quamque poetarum seniorum turba

evincere studuisset, carminis auctorem ad neminem nisi ad ipsum Lucilium posse referri, argumentorum quae deprompsit copia et gravitas effecisse videtur, ut plerique omnes, qui post eum de hoc loco disseruerunt, rem eius disputatione confectam censerent, veluti Dillenburgerus et Wuestemannus meus in altera Heindorfii editione idemque video sentire van Heusdium Studd. critt. in Lucilium p. 105 qui simpliciter Heindorfio astipulatur. Nam ab hoc demum posteaquam antiquior interpretatio, quam fere omnes Horatii editores usque ad Lambinum tenebant, ut Lucilium significari existimarent, quum contra Bentleius, Gesnerus, Wielandus, Manso Ennium intelligerent, ita revocata est ut nihil fere annotaret nisi: „quam pro eo quod auctor fuit rudis etc.“; hanc sententiam certatim recentiores editores praeter Orellium complexi sunt quique hunc locum data occasione tetigerunt, exceptis Weicherto in scriptis suis notisque et Petermanno de Lucilio p. 15. n. Atque is quum nuper in programmate Hirschbergensis gymnasii Hermanni sententia impugnata

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

veterem quam nobiscum tuetur interpretandi rationem defenderit, etsi ipsa hac scriptione uti non licuit, tamen quantum ex eius epitome Jahnii annalibus inserta coniicere par erat, haud abs re visum est iis quae sequuntur eius disputationem supplere.

Ac primum quam pro quam pro eo quod dici posse Hermannus graeco usu, ex quo comparativum genitivus pro ἢ κατὰ κ. τ. λ. sequitur, probari vult eumque Curtii, Invenalis aliorumque argenteae aetatis scriptorum locis confirmat. Quae exempla partim aliena videntur quia casus obliquus appositus est, qui maiorem quandam loquendi licentiam admittit, (v. Madvig. Cic. de fin. 2. §. 8), partim prorsus ab Horatii loco abhorrent, velut quae ex Juvenale profert lectus Procula minor ubi proprie loquutum esse poetam arbitror: nam qui lectus minor est Procula, idem Proculae minor est. Ipsoque Plauti versu ex Rudent. prol. 20:

Maiore multa multat quam litem auferunt

nihil efficitur, cuius hanc esse sententiam patet: Maius i. e. maiore multa multantur, quam dono vel praemio acceperant. Lis enim est res vel causa litis i. e. pecunia accepta. Accedit etiam quod quum versu proximo quam vulgari significatione positum sit, vix tam limatum poetam brevissimo intervallo in eiusdem vocabuli usu variasse credendum est, praesertim quum hic quem statuunt rarior usus nec ipsi poetae nec eius aequalibus familiaris esset. Maiorem autem videtur Hermannus argumentis ex re petitis vim tribuere quam quae de grammatico usu disputationi suae quasi prolusit. Ac lubens ei concesserim, Ennianam satiram quod ad formam et argumentum attinet plane diversam esse a Luciliana (p. 24 sq.); quod autem inde colligit vir doctissimus, parum aptam h. l. eius commemorationem esse, id minus probabile reputantibus nobis videtur, Ennianae satirae mentionem, quamquam Lucilius demum id genus poesis condidit, non solum non ineptam esse propterea, quod utrique poemati idem erat nomen, qua re fieri non potuit quin utraque quamvis dissimilia compararentur, verum etiam, id quod nemo animadvertit, pene necessariam videri propter v. 54:

Non ridet versus Enni gravitate minores.

Horatius enim quum Lucilium in hac satira ubique defendat: quod is Ennium carpsisset, nostro versu, quo Lucilium iure suo quippe limatiorem esse usum docet, excusare conatus est. Jam pergit Hermannus ita, ut Lucilium primum Graecis intactum carmen condidisse probet. Qua in re etsi sunt quae iure opponi posse videantur, ea nolo commemorare; ipse enim verba rude et Graecis intactum carmen de Luciliana satira accipienda censeo, cuius tamen auctor Ennius dicitur propterea quod composuit carmina varii argumenti, quae fortuito Satiras inscripsit, potuit autem multis aliis nominibus uti (v. Interpp. ad Gell. N. A. init.). Quam inscriptionem quum Lucilius ad certum quoddam carminum genus transferret et revocaret, hic inventor, ille auctor appellatur. Hoc ipsum autem quoniam Hermannus negat, quum iis quae inde a p. 46 de Luciliana satira disputat prorsus assentientem me habeat, restat ut uberius pertractemus.

Auctor vox ut in iis habenda est vocabulis, quibus Graeca vox respondere videtur nulla, ita unde ducenda sit merito ambigitur. Quae ut paucis perstringam, originem nec ab augendi verbo nec ab Graeco αὐτός repeti posse ostendit Schoemannus in praefat. indicis schol. semestris aestivi 1834., statuitque artissimam huius vocabuli cum aio intercedere videri cognationem, quam usu historicorum potissimum et Ictorum pluribus probavit. Nec postea defuerunt, qui alia tentarent ut Doederlein., qui Etymol. V. VI. ad εὔχομαι id retulit vel qui auctorus adiectivum olim in usu fuisse contendit Peter in Mus. Rhenan. N. 3. 1 p. 104., vel qui genus nescio quod formae frequentativae auguris v. deprehendisse sibi visus est Hartung. de relig. Rom. 1 p. 100 n. Vellem autem exemplis posset probari, auctorem esse productiorem formam pro actore; quod ad significationem usumque vocis attinet, hic certe idem fere est atque agendi verbi, nimirum ut utroque

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quod ore aut re faciamus exprimatur. Quod quamvis minus ad etymologicam artem pertinere non sim nescius, tamen cupide similia exempla quaesivi: nam catus quominus cauto cognatum habeam, impedit me Doederlinii auctoritas et Larentiam non Laurentiam ubique legendum esse, quamquam non omnia quae vellem ad manus aderant, tamen ex iis, quae ad Liv. 1, 48, Gell. 6, 7 annotata sunt, satis apparere videtur, quibus Heinsii auctoritas accedit ad Ov. Fast. 1, 55, ubi Merkelius certe Larentia edidit. Quamquam, cui rei sane non multum tribuerim, veteres ipsi cognationem utriusque vocis statuisse videntur, nam Cic. de Or. 2 § 194: „Quare nolite existumare me ipsum qui — neque actor essem alienae personae sed auctor meae“ et Paullus l. VIII. ad Sabinum, Dig. XXVI., 8., 3: „quum se probare dicet id quod agitur; hoc est eum auctorem fieri.“ Quicquid autem est, is est proprie auctor appellandus qui non tam ipse sua manu, ore, consilio agit aliquid, sed ut alii faciant, corpore, oratione, mente impellit. Ipsa autem vox, a comicis poetis maxime suadendi significatione usurpata, ab antiquiorum poetarum, Emii Lucretii Catulli usu aliena fuisse videtur; ex Ciceronis, Nepotis, Livii consuetudine quin a poetis recepta sit dubitari vix potest. Itaque Vergil. Ge. 1, 26. „te maximus orbis, auctorem frugum tempestatumque potentem accipiat“, ubi perperam vulgo auctorem interpretantur moderatorem aut creatorem. Is enim Augustus nullo pacto appellari potest. Recte vero Servius: qui frugibus originem praestes. Nam deorum gratiam hominibus conciliando Augustus auctor fit laetae segetis serenique coeli, quae ipsa deorum dona cogitanda sunt. Hunc locum aperte imitatus Manilius dixit 1, 386:

Caesar nunc terris post coelo maximus auctor

i. e. potentissimo Augusti sidere felicitas, quam nobis ipsi paramus, tuta praestatur. Nam ad terris zeugmate satis usitato moderator est intelligendus. Ac plane ita feminae sine auctore apud Liv. 34, 2, 11 i. e. curatore, qui medias partes inter feminas et iudicem agit. Unde auctor est testis ut apud Cic. p. Cluent. §. 14. „Nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus, funestis ominibus omnium“ vel tutor aut venditor v. praeter Schoemannum quas significationes Reinius statuit in Pauli Encyclop. real. s. v. Ipsius autem vocis difficultas quum maxime in eo cernatur, quod multis locis ex sententiarum verborumque connexu propria eius potestas pendet, cognata vocabula saepe a librariis aut ab editoribus substituta esse mirum videri non debet. Itaque etsi facile est ad intelligendum apud Suet. Domit. c. 11. de actore summarum neque vero de earundem auctore sermonem esse (v. etiam Baumg. Cr. ad h. l.) neque dubitari potest quin Ciceronis verba Philipp. 2, §. 26: „Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur illis actoribus“ a Madvigio sic pro auctoribus scribente recte emendata sint, plane ut p. Sestio c. 28 dux, auctor, actor illarum rerum fuit cl. Cornel. Attic. c. 3: maiorem dubitationem iniiciunt Columellae verba de R. R. 6, 27, 1: „Quibus cordi est educatio generis equini, maxime convenit providere auctorem industrium,“ ubi Gesnerus actorem i. e. inspectorem curatorem legi mavult, Schoettgen. autem equum ad propagationem aptum intelligit. Equidem huic assentior propter sequentia: „et pabuli copiam quae utraque vel mediocria possunt aliis adhiberi.“ Nam auctor est h. l. ex usu poetarum quem imitari solet Columella abs quo gregis origo ducitur, ut Mars est populi Romani auctor. Ceterum amabant antiquiores philologi actorem p. auctore temere substituere v. interpp. ad Petron. c. 110 et Lucan. 1, 485 cl. Cort. ad 8, 573. Pari autem modo auctor cum fautore confunditur, veluti ap. Cic. p. Cluent. §. 66: „Ac primum, Scamandro reo, tantum datis muneribus perfecerat, ut eo fautore uteretur cupidiore quam fides iudicis postulabat“ Classenius ex optimis libris suis p. auctore recte edidisse videtur. Verum in Prudentii Hamartigen. v. 641:

Nil refert auctor fuerit factorque malorum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

perperam Heinsius fautorque ex nonnullis codicibus legi vult, nam deum malis favere neutiquam est poetae mens. Ille vero pleonasmum in verbis inesse credidit, qui nullus est. Nam auctor malorum deus dicitur, quoniam nisi deus mundum creasset mala omnino non essent; factor est qui ipse infert mala. Ceterum legendum est factorne, ut auctor positus sit similiter a, quem toties imitatus est Prudentius, Vergilius in versu de quo supra egimus vocem usurpatavit*). Cicero denique in Acad. Q. 2, 2, 5: „Ego autem, quum Graecas litteras M. Catonem in senectute didicisse acceperim; P. autem Africani historiae loquuntur in legatione illa nobili, quam ante censuram obiit, Panaetium unum omnino comitem fuisse: nec litterarum Graecarum nec philosophiae iam ullum auctorem requiro", ubi non erat, quod Bentleius fautorem coniiceret, nam ex antecedentibus discendarum intelligendum est. Quivis intelliget, quo sensu Cato omnium virtutum auctor appelletur de fin. 4, 16; rursus cur Sallustius in orationibus p. 175. ed. Orell. Pompeium tribuniciae potestatis fore auctorem dixerit, ex totius orationis argumento demum perspicere licet. Apud epicos auctor teli is est, qui telum emittit. v. Hofman Peerlk. ad Virg. Aen. 2, p. 191a et p. 220b; apud Celsum 7, 5, 3: evellendum est genere ferramenti, quod *Διοκλεῖον κυάθισκον* Graeci vocant, quoniam Dioclem auctorem habet, inventor intelligendus videtur, quamquam auctor is quoque dici potest, qui crebro eodem utitur. Nemesian. Cyneg. 104 Ianus temporis auctor i. e. abs quo nomen invenit et Spartian. V. Hadriani c. 10. Traianum eius auctorem vocat, quod ab eo regnum et dignitatem accepit. Potuit parentem dicere ut contra Hor. l. 1, 10 p. lyraeque parentem licuit auctorem scribere. Mamert. in Genethl. Maximiani p. 308: ille Romani carminis primus auctor de ipso Ennio. Tacitus denique Agric. 13. postquam de variis Britaniae domandae consiliis egit: „Divus Claudius auctor operis transvectis legionibus auxiliisque"; minus recte vertit Walchius: *Vollführer des Plans*, quum auctor ratione Agricolae habita significare videatur, Claudium inchoasse opus ab illo demum absolutum. Quare nollem Wexius meus in Commentat. de Agricolae libris mss. p. 14 hunc locum audaciore coniectura tentasset. Porro ductorem et structorem pro auctore interdum dici posse pluribus demonstravit Bentleius ad Hor. C. 3, 3, 66, quemadmodum in Propertii priore editione scripsit Lachmannus 4, 6, 43 codd. aliquot secutus:

Quam nisi defendes munorum Romulus auctor
Ire Palatinas non bene vidit aves.

in altera reposuit augur. Nihil vero frequentius, quam ut Apollinem et Musas carminis auctores appellent poetae, Horatius, Tibullus, Lygdamus, Manilius, Gratius, Rutilius, alii, quippe qui impellant ad canendum. Pari modo de patre Germanicus in Arateis v. 2: Carminis a nobis genitor tu maximus auctor. Iam vero, ut unde profecti sumus redeamus, auctor etiam idem esse potest atque inventor, ut Statius Silv. 1, 1, 78 Curtium facit loquentem: „Semel auctor ego inventorque salutis | Romuleae." Nimirum inveniendi verbum, iam a Donato ad Terent. Eunuch. 2, 1, 4 pro acquirendo acceptum, ampliorem quam quae vulgo inesse creditur habet significatum, veluti Cic. de fin. 1, 7 Torquatum, qui hoc primus cognomen invenit eodemque pacto de Or. 2, 63 s. f. et de rep. 2, 14: Idemque Pompilius et auspiciis maioribus inventis, ut fere idem sit atque constituere, quo sensu etiam reperire a Vergilio dicitur Aen. 12, 829. V. Handium ad Stat. l. l. Unde Cicero Acad. Q. 2, 42 extr. „Honestum autem quod ducatur a conciliatione naturae, Zeno statuit finem esse bonorum; qui inventor et princeps

*) Integros pene versus Prudentius ex Vergilio sumpsit ut Hamartig. 149: Improba mors quid non mortalia pectora cogis ex Verg. Aen. 4, 412.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Stoicorum fuit." Durius dictum existimavit Ernestius nec expedivit commate suo Goerenzius. Eandem autem esse patet rationem huius loci ac quem supra commemoravimus Maniliani loci, nam ad inventorem zeugmatis vi Stoicorum praeceptorum intelligendum est. Potuit Tullius Zenonem auctorem Stoicorum appellare, quo nomine etiam Socratem ornare licet; inventorem autem illum solum vocare fas est. Gratius Cyneg. v. 96 de inventore dentatarum pedicarum:

O felix, tantis quem primum industria rebus
Prodidit auctorem

cl. v. 106. Utroque loco auctor idem est atque inventor, ut etiam v. 463, quo monstrator pro auctore dici potuit. Quemadmodum igitur Zeno Stoicorum inventor, et Mimnermus Pomponiusque elegiae atellanarumque inventores appellantur, (v. nos de satirae origine p. 20.), quamquam illi Socrates, his alii bene multi praeiverunt quasique proluserunt i. e. auctores facti sunt: sic Ennio auctori inventor Lucilius ita successit, ut is in perpetuum constitueret, quibus signis notisque satira a ceteris generibus poesis, sive epica sive dramatica habenda esset, differre videretur, id quod Zenonem pariter in disciplina Stoicorum definienda ac duos relicuos suo quemque in genere fecisse, non est quod uberius demonstretur necesse sit.

Addenda.

P. 4. Isidori, quem ibi excitavimus, locus non potest recte percipi sine Gronovii annot. ad Plauti Casin. 3, 2, 27.

P. 8. Ad Soracte cf. etiam Calpe masculino genere a Pompon. Mela 2, 6, feminino a Sen. Hercul. Oet. 1253 et Avien. D. T. 478 usurpata.

Errata. p. 13 l. 6 ab ult. l. ut p. at.
„ 14 l. 2 „ „ l. nobis p. notis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Stoicorum tius nec expedivit commate suo Goerenzius. Eandem autem em supra commemoravimus Maniliani loci, nam ad inventorum intelligendum est. Potuit Tullius Zenonem auctorem etiam Socratem ornare licet; inventorem autem illum solum de inventore dentatarum pedicarum:

rimum industria rebus
m

cl. v. 106. inventor, ut etiam v. 463, quo monstrator pro auctore dicorum inventor, et Mimnermus Pomponiusque elegiae ate nos de satirae origine p. 20.), quamquam illi Socrates, l bluserunt i. e. auctores facti sunt: sic Ennio auctori inventor Lu nstitueret, quibus signis notisque satira a ceteris generibus p esset, differre videretur, id quod Zenonem pariter in disc licuos suo quemque in genere fecisse, non est quod uberi

n d a.

P. s non potest recte percipi sine Gronovii annot. ad Plauti C

P. culino genere a Pompon. Mela 2, 6, feminino a Sen. Here pata.

Errata. p. 13 l. 6 ab ult. l. u t p. at.
„ 14 l. 2 „ „ l. n o b i s p. notis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf